

3.
DECRETUM CONGRESSUS

Prot. n. 54519/19 CA

Commissariae Apostolicae

**(Rev.ma Superiorissa generalis, Vicaria generalis et
Secretaria generalis – Congregatio pro Institutis vitae
consecratae et Societatibus vitae apostolicae)**

Cf. prot. n. 47546/13 CA

DECRETUM

Recepta relatione finali Visitatricis Apostolicae diei 5 martii 2018, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 28 maii 2019 eandem Visitatricem Commissariam Apostolicam Instituti religiosi iuris dioecesani v.d. Y, usque ad Capitulum generale, anno 2021 convocandum, nominavit “para todas las Comunidades y miembros de la Congregación”, eidem collatis facultatibus totius gubernii generalis, scilicet Supremae Moderatricis et consilii.

Quo decreto notificato, Rev.da W, Suprema Moderatrix, necnon Rev.da Vicaria generalis et Rev.da Secretaria generalis mandatum Cl.mo Ae. Artiglieri contulerunt, qui recursum apud H.S.T. exhibuit. Peractis peragendis Em.mus Praefectus in Congressu diei 14 novembris 2019 petitam suspensionem reiecit.

Re rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev. dum Promotorem Iustitiae deputatum,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

- Exc.mus Episcopus Sedis principalis est Superior ecclesiasticus instituti, cui legislator peculiare potestates tribuit (cf. can. 595, §§ 1-2);
- Congregatio, e contra, est Superior hierarchicus etiam Institutorum iuris dioecesiani (cf. Decretum definitivum coram Iannone diei 24 iunii 2014, prot. n. 47546/13 CA, p. 5), quae ea omnia absolvit, quae ad normam iuris pertinent ad Sanctam Sedem de vita et industria Institutorum (cf. art. 108 Const. ap. *Pastor bonus*);
- Congregatio tamquam Superior hierarchicus recepta relatione Visitatricis Apostolicae visa est nominationem Commissariae Apostolicae ad temporanee substituendum gubernium Instituti expedire, quod ad media extraordinaria pertinet, quo Congregatio providit ut Institutum crescat et floreat, finem proprium fideliter persequatur atque salvificae missioni Ecclesiae reapse prosit (cf. art. 107 Const. ap. *Pastor bonus*);

Ad assertas violationes legis in procedendo quod attinet, attento quod:

- Congregatio ad tramitem Visitatricis Apostolicae Supremam Moderatricem, membra consilii et magnam partem sororum audivit, hoc modo can. 50 adimplens;
- Congregatio in decreto nominationis copiose rationes explanavit adimplendo can. 51 praescriptum;
- Quodque non sustinetur ulla violatio legis in procedendo ab eodem Dicasterio patrata in nominatione expedienda, qua in re, ceterum, iure quo utimur parum requiritur.

Ad assertas violationes legis in decernendo quod attinet, attento quod:

- Decretum definitivum H.S.T. diei 24 iunii 2014 graves

difficultates, quibus institutum iam hoc tempore laboravit, agnovit (cf. Decretum definitivum coram Iannone diei 24 iunii 2014, prot. n. 47546/13 CA, p. 3);

– Remedium contra invalidam electionem est declaratio nullitatis, remedium contra illegitimam electionem denegatio confirmationis vel rescissio electionis vel amotio gubernii illegitime electi et convocatio novae electionis;

– Legitimitas electionis Supremae Moderatricis, Vicariae generalis, Secretariae Generalis et Consilii nominatione Commissariae Apostolicae minime in discrimen vocatur;

– Commissariae collatum est munus ad proximum Capitulum ordinarium, anno 2021 convocandum, praeparare, ita ut electiones ad normam constitutionum peragi poterint;

– Ad nominationem Commissariae iuxta H.S.T. iurisprudentiam una iusta causa sufficit (cf. art. 107 Const. Ap. *Pastor bonus*; cf. decreta Em.mi Praefecti in Congressu lata: prot. n. 45703/11 CA; prot. n. 37437/05 CA; prot. n. 41422/08 CA; prot. n. 42791/10 CA; prot. n. 44577/10 CA; prot. n. 44847/10 CA; prot. n. 45064/11 CA et Decretum Exc.mi Secretarii, d. 7 oct. 2010, prot. n. 44309/10 CA);

– Iam Exc.mus P. Visitator Apostolicus, in relatione diei 12 octobris 2012 abusum auctoritatis ex parte fundatricis denunciavit et exempla concreta adduxit: “Control en la elección de confesores y consejeros espirituales. Imposición de confesores”; “Eliminación de cualquier persona que manifieste desacuerdo y creación de enemigos mediante difamación, amenazas, mentiras y se invoca la protección de personas influyentes”.

– Congregatio die 3 octobris 2018 relationem Visitatricis Apostolicae diei 5 martii 2018 confirmavit et visitationem conclusam declaravit;

– Inter causas nominationis Commissariae enumerantur irregularitates in bonorum administratione. Gubernium Instituti de administratione rationem reddere et accessum ad bona concedere recusavit, ita ut Rev.da Commissaria ab H.S.T. gratuitum patrocinium petere debuerit;

– Exc.mus Nuntius Apostolicus in litteris diei 22 octobris 2018 rationes nominationis confirmavit;

– Impugnatum decretum Congregationis anni 2019 claris verbis statuit Rev.dae Commissariae non solummodo facultates Supremae Moderatricis, uti generatim evenit, sed totius gubernii generalis instituti collatas fuisse: “dicho cargo de Comisaria Apostólica implica la atribución a la H.na A de todas las competencias que el derecho particular del Instituto y el universal de la Iglesia atribuyen al Gobierno General del mismo Instituto religioso”;

– Divisionem in instituto comprobatur factum discessus 38 sororum;

– Querimonia nonnullarum sororum circa modum agendi Commissariae durante munere non inficiunt legitimitatem decreti impugnati;

– Rev.dae Commissariae Apostolicae est bis in anno relationem de sua actuositate ad Congregationem mittere: “Semestralmente, la Comisaria Apostólica deberá informar a este Dicasterio de su trabajo, enviando un detallado informe escrito”.

Cum proinde non appareat ullum indicium violationis legis in procedendo vel in decernendo ex parte Congregationis;

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Viso voto Rev.di Promotoris Iustitiae deputati;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 6 octobris 2020 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Recursum contra decretum a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 28 maii 2019 latum non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, quippe qui manifeste quovis careat fundamento.

Cautio pro expensis in arca huius Supremi Tribunalis deposita retineatur. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 6 octobris 2020.

Dominicus Card. MAMBERTI
Praefectus

+ Iosephus SCIACCA
Episcopus tit. Fundanus
Secretarius